

ei inimicorum, ita et taliter quod neuter eorum dabit unquam directe vel per indirectum, sub quocumque colore, causa aut occasione quea dici seu excogitari possit, ulli principi, dominio, comunitati aut potentatui quicumque sint aut esse poterunt, favorem subsidium opem aut auxilium contra et adversus alium.

*Item*, poterunt incolae et subditi utriusque partis ire, morari, mercari et negotiari tute et securere, per terram, mare atque aquas dulces et flumina in patriis, dominis ac provinciis alterius distinctioni et imperio subjectis, perinde ac si essent veri et originarii incolae et subditi illius principis aut dominii cuius patrias et dominios adibunt. Nec patientur praefati christianissimus rex et inclitum Venetum dominium in eorum patriis et dominis tam 209 terra quam mari aliquos piratas aut prædones ad damnificandum subditos alterius, et licebit ipsis christianissimo regi et excelsa domino Veneto intra tres menses proximos a data præsentium numerandos nominare et declarare suos amicos et confederatos, quos volunt et intelligunt juxta amicitia et contentis in præcedentibus articulis comprehendendi. Quos quidem amicos et confederatos una quæque partium infra prædictum spatium altera insinuare tenebitur.

*Item*, quia praefatus christianissimus rex, summo auxiliante Deo, vult et intendit recuperare ducatum Mediolani, comitatum Papie, et alias civitates, terras et dominia nunc per dominum Lodovicum Sfortiam occupata; que sunt verum et antiquum patrimonium ipsius christianissimi regis et ei hæreditario jure obvenerunt et spectant: tractatum, actum, conventum, promissum atque conclusum per praefatos magnificos dominos oratores pro et nomine dictorum illustrissimorum ducis et Venetorum dominii extitit et est, quod toties quoties antedictus christianissimus rex vellet inferre arma et movere bellum, seu facere et indicere guerram praefato domino Ludovico aut aliis qui pro tempore prædictos ducatos et dominia in totum sive in partem detinebunt, praefati illustrissimi dux et sui successores et inclitum Venetum dominium indicent et aperte movebunt et inferrent bellum praefato domino Ludovico aut aliis dictorum ducatus et dominii detentoribus quando et ubi praefatus christianissimus rex voluerit et suæ majestati expedientius videbitur, cum numero mille et quingentorum hominum armatorum, seu armigerorum virorum, et quatuor millium peditum ad minus, quem numerum armatorum et peditum ipsum dominium Venetum est et erit obligatum tenere et stipendiare suis propriis sumptibus et expensis, usque ad totalem et integrum recuperationem, ad

opus, utilitatem et commodum christianissimi regis, dictorum ducatus Mediolani et comitatus Papie et cæterorum locorum, civitatum terrarum et dominiorum per ipsum dominum Lodovicum citra Bononiam detentorum, excepto dominio Genuensi; ad quod acquirendum seu recuperandum, præfatum dominium Venetum non tenebitur præstare auxilium ipsi christianissimo regi. Non tamen poterit dictum dominium Venetorum modo aliquo, directe vel indirecte, prætextu ejusdemque rei, coloris aut occasionis, quea dici aut excogitari possit, impedire præfatum christianissimum regem in acquisitione seu recuperatione diti Genuenis dominii, neque præfati dux et Venetiarum dominium præstabunt unquam aliquod auxilium, subsidium, favorem, præsidium re aut verbis quocumque modo dici aut excogitari possit genuensibus et ejus adhærentibus contra et adversus ipsum christianissimum regem. Qui quidem christianissimus rex similiter incipiet et faciet bellum et guerram praefato domino Ludovico, aut aliis dictorum ducatus et dominiorum detentoribus, cum numero mille quingentorum armatorum virorum ad modum Italie et quatuor millium peditum ad minus, illo eodemque tempore, quo voluerit, quod dominium Venetum moveat bellum ipsi domino Ludovico et continuabitur præfactum bellum per christianissimum regem et inclitum Venetum dominium usque ad totalem recuperationem ducatus Mediolani et aliarum rerum prædictarum.

Tamen si accideret, quod Turcus pararet magnum et potentem classem et quod illam mitteret contra statum dicti incliti Venetorum dominii, seu recommendatos eorum de Archipelago, Rhodum aut aliquam partem Italie, his in casibus praefatus dominium non tenebitur ad requestam regis incipere guerram seu bellum contra præfatum dominum Lodovicum, quam diu dicta classis Turci erit foris ad prædicta loca, ut super dictum est.

Si tamen jam inchoatum esset bellum contra præfatum dominum Lodovicum, seu alium detentorem prædictorum ducatus et dominiorum, ante quam Turcus mittat classem suam ad prædicta loca vel aliquem eorum, dictum dominium non poterit prætextu dictæ classis prætermittere: quin prosequatur et tenetur prosequi efficaciter dictum bellum cum numero armatorum et peditum supra expresso, usque ad finalem et integrum recuperationem antedicti ducatus Mediolani et aliorum dominiorum superaspecificatorum ad opus et utilitatem dicti christianissimi regis, prout supradictum est, nisi de communi consensu et voluntate prædictorum regis et